

*Disfertatio Theologica,*  
*Siftens*  
*Principia Recentioris Theologiae,*  
*Critice dijudicata,*

---

Cujus

*Partem Secundam*

*Consent. Mæx. Vener. Facult. Theolog. Aboëns.*

PRÆSIDE

**Mag. JACOBO BONSDORFF,**

*S. S. Th. Doct. & Profesf. publ. & ordin.*

*publico examini modeste offert*

**NICOLAUS ROBERTUS BONSDORFF,**

*Filius, Wiburgensis.*

*In Audit. Philos. die XIX Junii MDCCCXXII.*

*h. a. m. f.*

---

ABOÆ, Typis Frenckellianis.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. The text is arranged in several lines, with some lines appearing to be part of a list or a series of entries. The ink is very light and difficult to discern against the aged paper.

ricum & esotericum ordinem auditores suos distinxerant, quorum alios in religione plebis, alios subtilioribus mysteriis initiabant. At vero, ut paucis nos expediamus, si liberalem eam appellant interpretationem, quæ problematicis in causis cœcæ non sectatur auctoritatem, ultra omnino eandem amplexamur; sin vero liberalis audit, quæ ultra revelationis & communis loquendi usus vagatur terminos, fidem Divino debitam verbo infringere amans, jura utique reclamabimus sanioris sensus. Quid enim est, quod in propria aut tropica dictione evidenti, & ubi manifestus regnaverit dicendi scopus, verborum contextus & ordo, ita sollicitabit interpretem, ut contra communem hominum sensum agat, inferendo inauditas, immo ineptas notiones sententiasque a), nec ulli parcendo orationis consilio? Quomodo, quæso, quæ a Deo revelata auctoribus Sacris dicuntur, sobria quadam exægesi judicabuntur ab ingenio aut phantasiæ lusu profecta? Unde probabile reddetur, existare in sermonibus Jesu Apostolorumque diversum quendam sensum, mentalem alium, s. internum & authenticum, verbalem alium s. externum & doctrinalem, utrumque haud raro sibi oppositum, ut fere idem sit ac *aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum tenere?* eo namque spectat principium, quod nonnulli ponunt in discrimine doctrinæ ipsius & typi doctrinæ (τροπή παιδείας). Nemini quidem probatorum interpretum ignotum antea fuit, docendi modum pro auditorum captu vario varium esse, popularem

## C

a) V. c. eum epitheta Divina Jes. IX: 5. apertissimo contextu Messiaæ assignata & propria alii cuidam regi Judaicæ gentis, nominatim Hiskiaæ appropriaverit male sedula exægesi nonnullorum e. c. PAULUS (Philolog. Clavi) HÖFFNER (Exeget. handb.) SCHÆFER (Bibel-Comment.) ad h. l.

larem (simplicem) aut eruditum, proprium aut figuratum, brevem aut copiosum, infantilem aut maturiorem; sed in hac varietate doctrinali, mansit semper immota veritas & harmonia, quibuscunque demum sub umbris ea lateret aut emineret; nunquam sibi finxerant Theologi repugnantiam inter ea, quæ Auctores Sacri dixerunt, & dicere voluerunt, quippe quia tanta fraus ingenio doctore quovis estet indignissima; quin immo qui cum pueris ludunt, non eos a scopo & tramite vero abducunt, sed ad eum ducunt. Quis insolentiam, fallaciam, calumniam hanc discipulis Christi, Christoque ipsi objectabit, eos quippe intimam communionem Christi cum Deo, Divinique spiritus vim in collustrandis & beandis mentibus humanis, ceteraque fidei momenta auditoribus suis, parvulis scilicet & abjectis, ea tantum tacita cum intentione instillasse, quam perfectiores ominarentur Christiani, permutatum iri ac olim exspirare fidem in mirabilia hæc dogmata, fata præceptaque, nec religionem Jesu aliunde derivandam aut dimetiendam esse, quam ex ingenio ejus sublimi, & quicquid in religione hacce philosophandum esset, rationis puræ, non Divinæ committi debere auctoritati? Arque hoc esset interpretari! Multos autem cum nodos nectat prava ejusmodi interpretandi ratio, ad aliud se receperunt asylum moderatores, *accommodationis* nempe principium, cujus quidem genuinus usus Apostolorum in scriptis non omnino negabitur, modo caveatur, ne in abusum trahatur. Recte utuntur hoc instrumento hermeneutico, qui in allegoriis, parabolis, hyperbolico dicendi genere, allegationibus juxta atque concessionibus aptum hoc atque prudens accommodandi quarunt studium, cujus scopus minime dubius est, multo minus contrarius orationi contextæ universæ. Quis nescit, allegorias & comparationes, ex rerum natura petitas, apte transferre  
men-



mentem ad morales abstractasque res cogitandas; scriptores vero Sacros, si vel nimio animum intenderint allegorizandi studio, libertate sui ævi commode usos fuisse, omniumque spectasse intelligentiam? Quis hæret in justa applicatione stili parabolici, hyperbolici, symbolicique, quem Orientales scriptores multo pluris fecerunt quam Occidentales illi; quis libertatem verbis aliorum, suum in modum & finem, utendi non bene distingvet a veris citationibus, in quibus evidenter satis eminet auctoris ipsissima mens? Quin etiam intactas relinquere opiniones vulgi, donec per se resolvantur, parcere simpliciorum infirmitati, graviores vero debellare errores, ingenui utique est doctoris provincia, quam sapientissime administravit Christus cum suis Apostolis *a*). Neque minimam Ejus admirabimur prudentiam in denegandis ac velut obvelandis futuri temporis nonnullis spectaculis, quorum idea perfectior in hanc fragilem non cadit vitam ac mentem *b*). Verum vehementer abutuntur hocce accommodationis popularis systemate, qui Sacros ipsos doctores, quos præjudicia gentis suæ nonnulla agnovisse & depofuisse certum post tempus constat, quique sincerissimo flagrabant veritatis Divinæ, a Christo & per Christum instillatæ, amore, easdem tamen & alias ejusdem generis sub munere suo docendi retinuisse præjudicatas opiniones, quin etiam easdem fovisse & confirmasse statuunt *c*).

C 2

Ple-

*a*) Exempla satis sunt in propatulo, imprimis in Cooncionibus Jesu variis, ubi Messiani regni ideam, aut vanum idolatriæ cultum, artesque hominum pravas, diabolicas adumbrat. Joh. 8: 44.

*b*) Conf. Math. 24: 36. 25: 31 — 46.

*c*) Quanto majori cum invecundia fingunt Christum ipsum falsis Judæorum opinionibus favisse, eaque in se accommodasse quæ de

Plebis enim errores, religioni salutique omnigenæ noxios, non reprehendere, vitia in intellectu ac voluntate residua non corrigere, quis ex discipulis Christi sustinuisset? Annon præjudicia vulgi de politico quodam regno Messiano acriter admodum & cum successu debellarunt? Annon severissimi erant censores in vitam & mores sectatorum suorum? Annon integerrima fide non modo enarrarunt historiam Jesu mirabilem, sed etiam beneficia ejus & merita, decreta & præcepta proposuerunt, vitæque cum jactura strenue defensitarunt? Faciles quidem erant in externis nonnullis ritibus pro tempore concedendis, infirmioribus tolerandis, levisimisque causis dijudicandis, sed difficiles erant in perstringendis quibuscunque Christiani nominis calumniis, constantes in tuenda Servatoris Sanctissimi Divina natura & auctoritate, ejusque expiatoria morte in remissionem peccatorum prædicanda. Tantum ergo abest, ut hisce in omnibus ingenio Judaico temere semet accommodarent Apostoli, ut potius clarissimis verbis & enuntiationibus errores Judæorum castigarent, fideique dogmata invictis adstruerent argumentis, harmoniam inter se & cum doctrina Christi sacro fervantes tenore.

Restat vero adhuc, ut de *moralis* interpretatione, quam historicis dogmaticisque scriptis adfinxit recentior de religione philosophantium secta, pauca disseramus <sup>a)</sup>. Non est

---

longe alia persona primitus dicta essent. Conferantur v. c. loca Marc. 12: 36 Luc. 4: 21, ubi Christus expresse dicit de se prolata esse vaticinia: Psalm. CX: & Jes. XLI: innumera alia ut prætereamus.

a) Conf. Diss. P. HÖGMARCK de *Suprema S. Litteras interpretandi*

est nisi allegorifandi quædam ars, veteribus jam familiaris, de novo & quidem temerario recocta consilio, ut sensim grammatica evanesceret orationis vis & evidentia. Non negamus, liberum esse Scriptoribus & Theologis Practicis, ad moralem usum accommodare rerum descriptiones historicas, poëticas, dogmaticas ceterasque familiaris vitæ adumbrationes; Interpretibus vero non licet ex genuino orationis sensu & scopo discedere, si quidem veritas non est nisi una, nec sensus nisi qui verbis inhæret. Quid attinet, moralem intrudere sensum, rejecto grammatico; quid juvat historias Sacras vertere in declamationes morales aut fabulas, ut fascinentur scilicet oculi rudiorum? Philosophico autem hoc superfedendum esse artificio, saniores jamjam perspexerunt.

Quid ergo? Nihilne recentior liberalis exægesis secum tulit commodi in Theologia rite tractanda? Absit; genuinum quippe usum ab abusu probe discernere, invito licet, docuit interpretes, ipsosque sagaciores reddidit atque prudentiores quum tot inter disensus justam crifeos suppeditaverit occasio disciplina recentior, nec justa deerit unquam in universo Theologiæ ambitu copia. Divina prælucente revelatione, vera a falsis discernendi. Hanc laudem dabimus optimis ævi nostri Theologis, Evangelicam nostram, in Prophetarum Apostolorumque fundatam scriptis, fidem contra nonnullorum corroborasse insulcus, Divinamque hanc, Religionis Christianæ arcem, per se quamvis invictam, fortius tamen  
eo.

---

*norma* Upsal. 1814. LAUR. VÄRLIN, Præf. HESSEN & EBERSTEIN  
de *interpretatione Script. S. secundum Kantium* Part. I. Lund.  
1801, II. 809, nec non Disf. MOLIN Præf. GUST. CADOLIN de *moralis interpret. S. Litter.* Aboæ.



eorum munitam industria. Irrita saltem erunt molimina, quotquot ad subvertendam aut imminuendam hanc fidem excogitarunt male seduli Scriptores, quos inter ne quidem convenit de principiis, multo minus eorundem applicatione hermeneutica. Et quomodo sensum hominum communem debellare, vincere, turbare valebunt diversissima hæcce insolentiæ humanæ principia, quibus evincere satagunt: Historias Sacras supernaturales *aut* esse mythos, *aut* ad naturales causas referendas, *aut* ad moralem sensum torquendas; *porro* revelationem omnem & religionem puriorem in rationalismo poni; Discrimen sive repugnantiam esse doctrinæ & sensus doctrinalis, religionis Jesu & Christianismi s. statutarie doctrinæ, religionis muterioris & infantilis s. popularis; denique vero Dogmata & argumenta pleraque esse accommodationes ad vulgi rudioris opiniones erroresque? Quæ omnia quam parum cohæreant inter se, & cum communi hominum sensu, religioso inprimis; quam parum cum interpretationis legibus omni ævo constitutis, atque cum historia ipsa religionis conciliari possint, videant, qui novas cogitandi interpretandique sanciant leges. Sed diutius hæc persequi vetat instituti ratio. Ad specialia ergo jam progredimur Evangelicæ nostræ doctrinæ capita dijudicanda, &, quam brevissime fieri possit, enucleanda.



*Sectio Posterior.**De Theologia Christiana ejusque fonte.*

## §. 1.

Quamquam nullo non antea exstiterint tempore, qui religionem Christi exosi, supranaturalem omnem rejicerent cognitionis religiosæ originem, multo tamen artificiosius revelationem Divinam explicare aut impugnare cœperunt, qui rationalismi initiati fuerunt principiis, adeo ut doctrinam positivam ex verbo Dei hausitam suis convenienter principiis de novo quasi restaurarent, maturiorum quippe in usum. Proinde Christianismum, Theologiam, Symbolicam & statutariam doctrinam sollicitè a Religione Jesu morali distinguentes. eidemque sæpius opposcentes, dubitarunt, utrum revelationis vehiculo amplius opus sit, quum perfectiorem ratio invenerit modum cogitandi de Deo & salute humana, atque empirica omnis fides, si vel maxime Divinam prætendat auctoritatem, vacillare in foro rationis purioris videretur. In universa vero hac causa, Revelationis necessitatem & veritatem spectante, non attinet apodictica quædam & velut ex tripode enuntiata decreta audire, quum historia ipsa hominis & sensus communis empiricam hanc tueatur fidem a). Pendet ratio humana a Deo, pendet religionis veritas ab institutione Divina i. e. ab ea procuratione, quam Deus diversis temporibus dedit, clarissimisque testimoniis comprobavit. Et si vel maxime ignoraremus,  
ut

---

a) Fufius hac de re disferuimus in *Disf. de Theoria mentis humanæ Revelatione excultæ*, P. I — 7. Insuper vero cfr. *SELLER lib. d. Göttl. offenbarungen*, *Disf. Præf. JAC TENGSTRÖM de fide revelationi Divinæ habenda*, & *FRANZÉN de Revelatione*, cet.

ut nec mirum est nos ignorare, tum fines rationis & revelationis, tum quoque præsertim modum, quo meliorem, clariorem & certam Deus hominibus impertierit noticiam sui suarumque legum & decretorum, minime tamen dubia est ejus origo & dignitas, quemadmodum nec religionis naturalis excellentia & veritas evelli unquam potest, licet essentiam animi humani, cogitantis, reflectentis, agentis minime explicare valeamus. Quæ sublimitas est in naturali hac, intelligendi facultatis eximio dono informata, religione, profecto longe meliori jure statuatur oportet inesse Divinæ rationi & revelationi; Quod idem non negarunt Semlerianæ scholæ æquiores discipuli, licet cum Semlero historicis quibusvis & moralibus in Vet. & Novo Testamento exstantibus scriptis inspirationem nullam vindicarent. Nemo autem, antiquioris systematis de Θεοπνευσία s. Divina origine librorum Sacrorum rite perpendens theoriam, hæsitare potest, quotuplici sensu probatissimi auctores hanc inspirationem Scripturæ inculcaverint, primarii scilicet & secundarii ordinis, *illius* ad res antea ignotas aut bene non intelligendas, *hujus* ad res & eventus integerrima fide humana describendos pertinentis. Si enim Divini numinis specialissimo influxui & moderamini accepta retulerint Scriptores Sacri, Prophetæ & Apostoli omnia, quæ Divino ex mandato promulgaverint & prædixerint (in quibus nullum ferme artificium humanum valere aut sufficere potuit) certe quoque Divinam procurationem gloriâque agnoverunt utpote normam, ad quam narrationes historicas exigent & conformarent, adeo ut non solum nulla fraus & fallacia, sed nec oscitantia & negligentia apud ipsos locum invenire posset. Pietas in Deum, cujus extraordinaria dona toties experiebantur, cautos eos reddidit atque modestos, fideles & integerrimos. Quare etiam hocce ho-

honore dignissimos prophetas pronuntiavit Christus, cujus mirabilia facta & fata prædixerant tot anteaetis seculis, quique vitam velut & spiritum prophetiarum efficit. Ad Apostolos vero quod attinet, quis barbaro silentio aut ingrata oblivione premere Sospitatoris summi promissiones poterit, quibus pollicebatur, Divinum Spiritum adfuturum ipsis esse, in mentem revocando omnia (*ὑπομνησε πάντα* Joh. 14: 26.) nec non verba suppeditando in defendenda justissima religionis Jesu causa? Quis, sinceritatem amans in judicando, hinc non concludere valebit, fidem Apostolicam extraordinaria Divini Spiritus efficientia sustentatam fuisse & in scriptis Apostolorum eminere a)? Tantum ergo abest, ut liberalem istam interpretationem, seu, quod verius est, licentiam tollendi aut perperam explicandi Scripturam S. approbare ingenuus Evangelicus doctor possit, ut potius ex levitate ingenii eandem profectam pronuntiabit.

Oracula Vet. Test. ea inprimis sunt, in quorum Divinam originem & argumenta impingere solent recentiores, jam antiquissima monumenta & tempora ante-Mosaica, jam religionem & œconomiam Mosis, jam Davidis, Prophetarum ceterorumque sublimia vaticinia atro notantes carbone, historica vero pleraque scripta ad propria sua placita accommodate explicantes. Quid de historia Sacra, perperam cum fabulis comparata, sentiendum sit, antea Sect. I §. 3. exposuimus; ceterum perperam Semlerus & sequaces ejus urgent, historiam gentis Judaicæ nihil cum Christiana religione habere commercii. Unde

D

quæ-

---

a) Conf. *Disf. de fide historica Apostolorum Christi*. Præf. GRÖNSTRAND  
Lond. Goth. 1806.



quælo incunabula generis humani, unde verioris religionis origo & progressus, unde providentiæ Divinæ luculentissimæ, totque Divinorum beneficiorum documenta peterentur? ubinam porro pietatis virtutisque elegantissima exempla conspicerentur, nisi continuus adesset nexus historiæ Sacræ, Dei procuratione perscriptæ? Vere enim dicitur, Scripturam S. opus esse Divinæ sapientiæ. Continetur scilicet religio tribus potissimum momentis gravissimis: dogmatibus, præceptis & promissionibus. *illis* ad intellectum, *istis* ad voluntatem, *bis* ad conscientiam exhilarandam aptissimis. Universæ vero hujus religionis fundamentum in S. historia latet. Pervagare igitur campum Theologiæ V. T. universum, inquirendo utrum Divina testimonia omni ex parte hic recenseantur nec ne! intende oculorum aciem in statuta quævis & monita, hilaria quævis promissa & futuri temporis spectacula, quæ ubivis in Prophetarum exhibentur scriptis! diutiusne hæsitabis, utrum fides Divino verbo, fiducia in Deum spesque in Christum sit collocanda? Arrisit quidem nonnullis, nominatim AMMON, PAULUS, AUGUSTI, opinio, quam magno, sed precario & vano opere propagare studuerunt, nulla in Prophetarum Scriptis exstare vaticinia de Messia ejusque religione, per omnes regiones & gentes prædicanda; sed nec defuere sagacissimi Theologi, qui Propheticam doctrinam ex Christi & Apostolorum genuina interpretatione bene tuiti sunt, aberrantibusque obicem poluere validissimum. Quod si ergo sermo hicce propheticus sit firmus, sequitur, *Ἰσοτῆτος* summo gradu & jure eidem competere ejusque auctoribus, Esto quoque, multa in hoc genere obscurius aut specialius dicta non posse perfecte indagari, quia nec N. T. scriptores omnes allegarunt aut determinarunt prophetias; sunt tamen pleraque vaticinia tanto nitore & ipso suo complemento fulgentia, ut qui

ea minus viderint, oculorum laborare morbo dicendi sint a), Nec modo in latioribus eventibus Messiani regni futuri Deus certam ingeneravit aluitque spem per prophetas, sed quoque in universæ reipublicæ Judaicæ fatis, caliginosa nocte vulgo obductis, in vicinarum gentium mutationibus magnis, pariter atque earundem ortu & casu, manifestas per adumbrationes, promissiones aut graves pœnarum denuntiationes, ita edocuit, adstetit, ut nemo vel leviter litterarum Sacrarum gnarus dubitare amplius poterit, aut non asserere, Divinæ extraordinariæ revelationi hæc omnia deberi. Moralibus ergo dogmaticisque in veritatibus Divini Numinis mediatam & immediatam conspici institutionem, contra recentiores, qui mediatam tantum admittunt, defendimus. Primis quippe hominibus verior Dei notitia & cultus nonnisi immediate suboriri potuit; falsoque ponunt nonnulli, polytheismum fuisse antiquissimum in gente Hebræa b), Mosenque fictitios Deos una cum nationali suo Deo cogitasse, quæ absurda opinio ex tota ejus legislatione diluitur. Nationalis

D 2

a) Exempla satis lucida adferantur ex Psalmis Davidicis II, XVI, XXII, XL, LXXIX, CX, Jes. IX, XI, XL, XLII, LII, LVII, LXI cetera bene multa ut prætereamus, in quibus cum Evangelicæ historia collatis, mirum est quam inepte se torserint Interpretes, ut Messie ideam velut prosciberent. Quam absurde enim excitarentur omnes gentes ad confidendum alii quam Deo & Christo (Ps. II: 8.)? quam inepte redivivæ vitæ spes, Dei nomen & imperium universi orbis traderetur Davidi aut ulli alii, præter Christum? Ps. XVI, XXII, CX. Quam intolerabilis adulatio fuisset, si Jesaias Cap. IX, Hiskiam nomine Dei fortis, æternitatis auctoris, salutasse diceretur? quam male Judaica gens sanior Jes. LIII, fingeretur mortem pati pro peccatis populi, c. f. p.

b) Precarium argumentum a terminatione Dei in Plur. num. אלהים satis refellitur ex Syntaxi ejus nominis constanti cum Sing. numero.

nalis enim Deus non is salutabitur, qui cœlum & terram creavit, qui omnia dirigit, sustentat, ordinat; qui genres quasvis, non pro lubitu suo, sed justitia coerces, idololatrias punit, regna subvertit, aut oriri facit. Puriorque Dei unici cultus, amor in Deum pietasque, amor in proximum quemvis, fidelitas, justitia, benignitas, temperantia, castitas, in Mosaicane lege reticeretur, an summo cum studio commendatur? ubinam ex summo suo principio virtus eruitur, nisi in lege Mosis, Divinam promulgante voluntatem generis nostri amantissimam, quæ quippe per secula omnia fuit eritque in infinita secula suprema naturarum intelligentium norma & lex; num sublimiorem huc usque philosophia & ratio invenire potuit morum & agendorum causam, quam quæ in duplici hac idea latet: Deus est totius naturæ auctor, creator; Ipse quoque supremus legislator, sanctitatem amans. Quæ religionis philosophia, licet humanæ mentis viribus non penitus inferior, multo minus iisdem inimica, tantam vim & auctoritatem a Deo ipso revelante, jubente, monente nacta est, ut vel summi Philosophi huc usque nobilius validiusque excogitare non potuerint moralitatis principium. Divina quidem est lex, quæ per rationem ipsam innotescit; Divina autem itidem est, quæ positivo & extraordinario modo promulgata est, eo quippe consilio, ut ratio ipsa invictum habeat robur & metam, ad quam tendat. Recogitent ergo quotquot Mosaicæ leges temerario tanto spiritu vexant, quasi veram Dei cognitionem, veramque & positivam virtutem nullam Moses præscripserit, aut perfectam recti & justii observantiam inculcaverit; recogitent, quid in recessu habeat sublimis illa & positiva universæ legis summa: *Deum toto corde & animo amabis — proximum quoque sicut te ipsum amabis;* annon fundamentum aut complexum totius moralitatis; quid



quid sit ex mente Mosis, Deum colere, spretis omnibus stultis idolis, nisi adamare, revereri, obedire — quid nomen ejus sanctum habere, nec sine reverentia, aut temere nominare, nisi reverenter semper omnique externo opere & ore Deum ipsum suspicere; (vetuit enim Moses, Exod. XXIII: 13. fictorum Deorum nomina ore proferre & in memoriam revocare); Cogitent, septimi Diei celebrationem sublimem fuisse præceptionem, ut ansa hominibus Divina summa beneficia legesque reminiscendi daretur uberrima; Cogitent, positivas omnes externas & politicas regulas, breviter, concise & fortiter in decalogo Mosis inculcatas, amore proximi & nostri ipsius innixas esse, eaque propter negativam omnem legem cum positiva virtute primaria jungendam. De cetero licet concedatur, humani generis in infantia nondum perfectam omnibusque numeris absolutam condi potuisse legem, qualem deinceps omnibus gentibus condidit & promulgavit Christus, veritas tamen & divinitas illius tanto minori jure infringi potest, quanto certius sit, eandem extraordinario modo Israeliticæ genti sancitam fuisse & promulgatam, quemadmodum Exod. XIX: 16 seq. legitur. Præmia vero & pœnas hujus vitæ additas huic legi politico-morali fuisse nemo miretur aut pro reprehensione habeat, quum ea sit externæ legis natura, ut cives hoc vinculo ad obedientiam obstringat, nec futuræ vitæ spem aut metum commode hic locum obtinere potuisse, quisque facile cernat. Immortalitatis tamen spem familiarem antiquissimis jamjam fuisse Hebræis, & vulgari locutione: *colligi ad suos patres. regnum mortuorum descendere, ad Deum redire* e. s. p. hanc ipsam exprimi ideam, non opus est, ut multis demonstremus. Primitiva spes immortalis vitæ piis Dei cultoribus & Patriarchis tradita & deinceps repetita in legibus necromantiam prohibentibus, certe

re-

revelationem redolet. Neque obscura sunt vestigia ejusdem Divinæ efficientiæ ceteris in Scriptoribus V. T. quorum de se ipsis prolatum testimonium, si non satis videretur adæquatum, saltem summo jure confirmatur ex auctoritate Christi & ejus Apostolorum, cui nihil solidi habet rationalismus, quod objicere possit. Qui mentis enim humanæ perspicaciam solus alere valet, Deus, idem quoque novis & insolitis eandem augere, instruere, erigere valebit viribus, atque summa id comprobare internuntii sui fide. Nisi ergo ratio ipsa sibi contradicere suisque progressibus resistere voluerit, sublimius agnoscat oportet adjutorium, quod in religionis causâ a Sapientissimo Numine humano generi procuratum sit.

Hinc *Theopneustia* N. T. quoque facile vindicabitur. Ut quippe nemo, nisi ingratisimus, fidem Christo ejusque sermonibus, præceptis, mirabilibus factis & promissionibus denegabit, ita Apostolis Ejus, a se institutis Divinoque suo Spiritu informatis, in religione ejus propaganda fidem nemo, nisi fanatico inflammatus egoismo, abjudicabit. Præterquam enim quod integerrima fide historica, Divini sui memores Sospitatoris, cujus in gloriam & cujus ex mandato omnia essent agenda, narrarunt & narratas res perscripserant aut perscribi curarunt Apostoli, docendi quoque munus universum & institutioni Jesu orali, & Divino ejus influxui sive revelationi sponte retulerunt acceptum, nulla phantasie fraude aut enthusiasmo hominum vulgari decepti. Sincerissimi erant & oculati & auriti testes, extraordinariis donis ita instructi, ut quæcunque agerent, narrarent, docerent, omnia per Deum & Christum agerent, sicque per omnes terras Divinam Jesu religionem manifestarent. Fidem ipsis habuerunt, scriptaque eorum, utpote Divini non modo impulsus, sed  
etiam

etiam continui influxus aut moderaminis specimina, ultro receperunt gentes. Quid vero attinet cum SEMLERO al. regerere, multa inesse Apostolorum Scriptis mere humana, æconomica, exilia, ex usu quotidiano hausta, & inspiratione minime digna? Debuisset acutior, sed iniquior, hic censor animadvertere, quod in omnibus vulgo valet rebus, denominationem fieri ex potiori parte, nec verbis ludendum esse, cum universa res sit manifesta. Hæc enim moderatior fuit Theologorum sententia, inspirationem non in apicibus & signis quibuscunque externis, sed orationis compage & gravissimis in rebus conspici. Sufficit tenere, doctores Evangelii primos nunquam in institutio-  
ne religionis, sive historica capita, sive doctrinalia tractarent, egisse vel scripsisse sine numine & institutione Divina, a qua nihil nisi sanctum & ratum venit a).

Quid porro de ipsa Theologia, utpote positiva & statutaria doctrina, cum suis fundamentalibus articulis, contra novaturientes sentiendum sit, ex antea dictis intelligitur. Posito enim hoc, revelationem Divinam peculiari modo humano generi per Prophetas, per Christum ejusque Apostolos contigisse, sequitur, auctoritatem s. testimonium Dei in veritatibus maxime salutaribus supremam esse normam, ultimum fundamentum, quo certa notitia & spes superstrui possit. Quod si Theologia rationalistica hanc Divinam infringere aut subvertere oscitanter satis  
vei-

---

a) Verba sunt DOEDERLIN in *Instit. Theol. Christ.* Ed. VI. p. 97. quibuscum conf. PLANK *Einl. in d. Theol. Wiss.* MORI *Epitom. — & Diss. Præf.* LOSTBOM *de Inspirat. Div. Sacr. Scriptorum.* Upsal, 1790, atque Præf. JAC. GADOLM *de indole Θεωρητικῆς Σκηνῆς Σκηνῆς Sacra.* Abonæ 1765.



vellet aut posset auctoritatem, quænam amplius suppeteret indubitata credendorum, agendorum & sperandorum norma? Divinam rationem postponere humanæ, nec justum discrimen facere auctoritatis Divinæ & humanæ, quam barbara eslet levitas! Objiciunt quidem nonnulli a), varias dari positivas religiones, quarum quæque præterdit revelationes. Sed verum a falso secernere, fictas & fabulosas narrationes a testatissimis rerum eventibus distinguere, ratio humana sanior semper valuit. Objicitur, fidem auctoritate innixam non tantam esse, quam quæ ratione sola nitatur. Quænam vero ratio pura infinitam Dei majestatem & æternitatis spem sponte sua unquam complexa est? An Divino testimonio majus quoddam in rebus ad Deum pertinentibus cogitari potest? Quis sublimem Jesu contestationem non suspicit: *nemo Deum vidit, nisi unicus ejus filius.*

Pronuntiant porro recentiores, mysteria nulla religioni purissimæ inesse posse, sed omnia rationis scrutinio patere; Quæ ergo in Theologia positiva ponuntur arcana, esse in aliam mentem explicanda. Quanta vero est hæc protervia, non minus in religione positiva, quam naturali! Quanta enim sunt quæ nescimus! Mens scilicet humana præscribet Deo, quid agat, quomodo colatur; Creata natura Creatori terminos dabit! — Ne cogitarunt quidem, quot offendicula orirentur in cognitionis humanæ circulo universo, si impugnaretur, mysteria religioni inesse. Siccine quis naturæ reconditissima adyta salutavit aut salutare potest unquam, corporum prima stamina, elementa, agendi semetque explicandi vim universamque phœnomenorum theoriam, acutissimo suo subjiciens scrutinio?  
Siccine

---

a) Quorum in numero ingeniosissimus ipse fuit HENKE,